

Sequentia S. Evangelii, tollatur mitra, usque dum concludat Evangelium, tunc iterum imponatur usque ad genuflexionem sub „Credo in unum Deum.“

Baculus quoque sub Introitu et Kyrie, collectis et Evangelio, Credo et praefatione teneatur. Et mitra post Offertorium lectum deponatur usque dum responsum est a Choro, dignum et justum est, tunc enim cum primum se erigit denuo imponatur, usque dum legit Sanctus, quam sacellanus tunc collocet ad dextram cornu altaris, usque ad Salutationem quam cum pedo praemittitur ultimis collectis; tunc imponatur et statim dum dixerit Dns Abbas Oremus, iterum tollatur usque ad conclusionem ultimarum collectarum, quia tunc imponetur et non auferetur donec redeat praeceuntibus ministris et subsequente sacellano ad sacristiam.

Ad vespas vero usque ad finem Gloria Patri tenetur mitra cum baculo et sub capitulo et Magnificat usque ad collectam sub qua deponatur, ut ea finitâ iterum imponatur; sicut et ea defertur in processione sanctissimi Sacramenti. Stat. 1605.

Aus dem ehemaligen Klosterarchiv der Benedictiner zum hl. Nikolaus in Prag.

Mitgetheilt von Ferd. Tadra, Scriptor der k. k. Universitäts-Bibliothek zu Prag.

Als im J. 1635 die slavischen Benedictiner von Emaus ihr Kloster in der Neustadt Prag den spanischen Benedictinern von Montserrat räumten und zu St. Niklas in der Altstadt Prag übersiedelten, nahmen sie auch das Klosterarchiv von Emaus mit, so viel nämlich davon nach den langen ungünstigen Jahren noch übrig geblieben war. Die ersten Jahre nach der Uebersiedlung waren insoferne für die Erhaltung des Archivs günstig, als es sich den Aebten zu St. Niklas um die Wiedergewinnung des ehemaligen Klosterbesitzes handelte und zu diesem Zwecke die alten Schenkungen und Privilegien von Emaus aufgefunden und ordentlich verwahrt werden mussten. Doch auch zu historischen Zwecken und Arbeiten wurde das Archiv benutzt, indem der Prior des St. Niklasklosters P. Benedict Possiwal eine Geschichte der ältesten Periode des Emausklosters »Descriptio exordii, processus et status temporanei monasterii Slovanensis« schrieb, nebst dem Archivalien an den Historiker P. Johann Florian Hamerschmidt verlieh, wie bereits von uns in diesen Blättern (Jahrg. 1889, S. 256) gemeldet wurde. Trotzdem zeigte es sich später, dass dem Klosterarchiv mehrere der ältesten Urkunden abhanden gekommen sind. Zu dieser Zeit war das Archiv wahr-

scheinlich von P. Possiwal geordnet worden. Sein Nachfolger als Archivar war P. Wenzel Jakob, der den Klosternamen Günther führte. Dieser hatte nun in den Jahren 1731—1732 das ganze Klosterarchiv nach seinen einzelnen Abtheilungen beschrieben und die meisten Urkunden auszugsweise verzeichnet. Einer jeden Abtheilung stellt Günther unter der Ueberschrift »Argumentum« einen Aufsatz voran, in welchem er das Hauptsächlichste der verzeichneten Urkunden und auch was ihm sonst bekannt war in Kürze mittheilt; auch den einzelnen Urkunden fügt Günther zuweilen historische Anmerkungen bei, die nicht ohne Interesse sind. Aus denselben erfahren wir z. B., dass nebst der genannten »Descriptio« von Possiwal auch eine Geschichte der Klosterbesitzung Stirzin von demselben bestand, nebstdem besondere Compilationen, wie »Compilatio de censu persolvendo monasterio Slovanensi a Ianionibus,« eine andere Compilatio de Gencz, sowie eine dritte die Klosterbesitzung Wallow betreffend. Wir sind leider nicht in der Lage anzugeben, ob überhaupt und wo diese Schriften vorhanden sind. Ebensowenig können wir angeben, in welchem Zustande das Klosterarchiv in den späteren Jahren erhalten wurde.

Nach der Aufhebung der böhmischen Klöster durch Kaiser Josef II. wurden die Klosterarchivalien theilweise an das Wiener Staatsarchiv, theilweise an die k. k. Bibliothek in Prag abgegeben. Dass dabei vieles abhanden kam und verloren gieng, ist bekannt. Auch von den in Günthers Verzeichnis angegebenen Urkunden und Schriften ist vieles nicht mehr vorhanden; ein Ersatz dafür ist eben dieses Verzeichnis, das nun in der k. k. Universitäts-Bibliothek zu Prag unter dem Titel »Archivum historicum monasterii ord. s. Benedicti ad S. Nicolaum Vetero-Pragae secundum ordinem alphabeti dispositum« mit der Signatur II. C. 14. aufbewahrt wird und aus dem wir nachstehendes mittheilen.

Das Archiv war nach Abtheilungen geordnet, die mit grossen Buchstaben bezeichnet sind, und zwar von A bis Z (leider fehlen in dem Günther'schen Verzeichnis die Abtheilungen G, L, M, U (V), X); eine jede Abtheilung hatte wieder mehrere Fascikeln. Die Eintheilung der Archivalien geschah nach ihrem Inhalte und wird aus dem nachfolgenden ersichtlich.

Lit. *A.* Clerum in communi concernentia et ecclesiam novam S. Nicolai.

B. Stirzinensia.

C. Lhotensia seu Slovanensia i. e. Concernentia Lhotam tam Milostinam (vel na Slovansku) et Zalesianam dictam quam Stayczkianam.

D. Concernentia Popovitzium.

E. Chodoviensia et Scheberoviensia consequenter etiam Baro-Goltziana et Hostiwarzensia.

F. Misskovicensia et Czakovicensia.

G. (deest).

H. Processus Berkianus et Politica.

I. Domus ad auream faciem vulgo Rosiana.

K. Praestationes caesareae extraordinariae quibus annexa: Negotium inhabitatae nostrae abbatae a legato Veneto Don Francisco Donado, item Negotium vinorum peregrinorum occasione eiusdem legati ad nostra cellaria depositorum.

L. et *M.* (desunt).

N. Monasteria congregationis Benedictinae Boëmo-Moravicae tum in genere tum in specie concernentia; item Indulgentiae.

O. Longam Lhotam et bonum Bittiz concernentia. Consignationis seu Auszügl diversorum artificum et opificum aliarumque expensarum.

P. Electionalia. Diaetalia. Fiscalia. Cerevisialia. Asylum concernentia et Miscellanea.

Q. Debita passiva antiqua monasterii s. Nicolai et inde ortae diversae quiettantiae. Item diversi contractus et obligationes.

R. Regularia et Statutaria et diversa alia.

S. Vineae monasterii s. Nicolai nimirum Žežulka, Melnicensis et Termanka.

T. Domunculam post sacristiam, ecclesiam s. Nicolai in Podskal, Fasciculum Teubnerianum, Translationem Benedictinorum ex Emaus ad monasterium s. Nicolai complectens.

U. (*V.*) *X.* (desunt).

Y. Confirmationes Caesareo-Regiae abbatum s. Nicolai, item contractuum, transactionum, item licentiae caes. regiae emendi vel vendendi bona.

Z. Instrumenta foundationis monasterii Slovanensis vulgo in Emaus nunc vero monasterii S. Nicolai Vetero-Pragae primaevae.

Wir lassen nun aus einigen Abtheilungen des Günther'schen Verzeichnisses Stücke von allgemeinerem Interesse in getreuen Abschriften hier nachfolgen.

Lit. A.

Fasc. I. Clerum in communi concernentia.

Argumentum.

Continentur hic ea, quae clerum in communi concernunt et licet quaedam sint, quae particularia monasteria vel particularem ordinem respicere videntur, ea tamen vel concernunt

etiam alios ordines, vel utut particularia non respiciunt ordinem Benedictinum, quantum ad nostram congregationem; ut ergo prius in compendio dem singula, sit ergo:

Fasciculi I^{mi}.

Num. I. Historia inthronizationis episcopi Pragensis Joannis IV. factae ab ipsomet rege Wenceslao et quomodo hic Joannes deinde illud damnabile vitium, quod plebani et rectores ecclesiarum quasi mercenarii fuerint, extirpaverit. Contigit haec inthronizatio a. 1301.

II. Gregorii XV. constitutio: 1^o. ut tam regulares quam saeculares quomodocunque exempti in his, quae curam animarum aut administrationem sacramentorum concernunt, omnimodae jurisdictioni, visitationi et correctioni dioecesani episcopi tanquam Sedis Apostolicae delegati plene in omnibus subjiciantur; 2. ut iidem, si deliquerint circa personas intra septa degentes aut circa clausuram vel circa bonorum administrationem monasteriorum monialium etiam regularibus subjectarum ab episcopo loci puniantur et corrigantur; 3. ad confessiones monialium audiendas nullus deputari valeat, nisi ab episcopo dioecesano idoneus sit repertus et approbatus; 4. administrantes bona monasteriis sanctorum monialium etiam regularibus subjectarum pertinentia episcopo loci adhibitis etiam superioribus regularibus singulis annis rationes administrationis gratis tamen exigendas reddere teneantur; 5. tales administratores vel confessores ob rationabilem causam, si superiores regulares ab episcopo moniti non amoverint, episcopi removeant quando et quoties opus fuerit; 6. possit episcopus cum superioribus regularium electionibus monialium sive per se sive per alium interesse et praesidere; 7. Episcopus habeat potestatem coercendi et puniendi quoscunque exemptos, qui in aliena ecclesia sine episcopi facultate et benedictione praedicare praesumpserint. Datum Romae 1622.

III. Matthaei Ferdinandi archiepiscopi Pragensis ad petitionem monasteriorum Cisterciensium circa parochialia responsio et resolutio. Petierunt autem Cistercienses a praedicto Matthaeo circa parochos suos et parochialia aliqua privilegia et praecipue exemptionem a vicariis foraneis archiepiscopalibus, quae etiam idem Celsissimus cum certis limitationibus iisdem concedit, addita specificatione, quales ecclesiae ad unumquodque monasterium quoad divina et curam animarum pertineant. Datum in residentia archiep. Praegae a. 1669.

IV. Fasciculus in quo continetur negotium de immobilibus status ecclesiastici bonis et quidem: 1. de modo seu temperamento, ne status ecclesiasticus tot immobilia bona acquirat, idque jussu Leopoldi I. Imp. a. 1669 (ubi insimul inhibet Sua Majestas emptiones bonorum immobilium sine consensu caesareo) et a. 1670;

2. de aequivalenti respectu bonorum a statu ecclesiastico acquirentium ab a. 1670 usque ad a. 1713 ad manus laicas vendito vel vendendo, idque ex mandato Caroli VI. Imp. a. 1713 et sequentibus; 3. de bullis seu instrumentis foundationum monasteriorum in Boemia a Sua Majestate expetitis a. 1725. In specie vero hoc fasciculum continentur sequentia:

1. Caesareum rescriptum de dato 5. Octobris a. 1669, quo S. M. ex ratione, ne status saecularis seu politicus deficiat et e contra ne status ecclesiasticus ultra primaevae suas foundationes se extendat, omnes acquisitiones tam in onerosis quam lucrosis sine regio consensu interdicat.

2. Caes. rescriptum dd. 4. Decembris 1669, quo S. M. declarat, se non velle clericum ab acquisitione temporalium privative esse exclusum, sed tantum eo collimare, ut medium aliquod et modus inveniatur, quo nimia coemptio bonorum saecularium ad manus mortuas coerceretur.

3. Caes. rescriptum dd. 5. Mart. 1670, quo S. M. declarat, quod non intendat clericum ab acquisitione temporalium privative excludere aut acquisita quoquo modo restringere; et praeterea caesar mandat, ut locumtenentes omnem sinistram opinionem statui ecclesiastico adimant eumque in optima forma assecurant ac etiam in statu pristino omnia relinquunt.

Haec porro tria rescripta praecipue prima duo ventilabantur praecipue apud tabulas regni, a quibus tandem emersit, quod sequitur, nimirum:

4. Informatio tabularum regni ad locumtenentiam super modo est temperamento acquisitionis bonorum immobilium ad manus ecclesiasticas de a. 1670 in Decembri, in qua dicitur: 1. Cum iuxta conditiones regni in jure provinciali renovato A. 24. 25. status ecclesiasticus pro primo et principali statu huius regni in perpetuum sit declaratus et institutus, sequitur, quod qua status primus acceperit jus acquirendi et possidendi bona immobilia; 2. quod in transactione inter Ferdinandum II. et Urbanum VIII. S. P. id est in contractu salis regis tabulis ingrossato (vi cuius laicis manserunt bona stabilia tempore haeresis injuste clero ademta) status ecclesiasticus acceperit jus acquirendi immobilia, quod jus ipsi nec ab imperatore cum aequitate rapi potest; 3. quod idem status ecclesiasticus hoc salis contractu remedii loco facto longe tantum non receperit, quantum irrevocabiliter in manibus laicis permisit; ingentem igitur pareret confusionem, imo (quod metuendum) cum sede apostolica collisionem, si hisce juribus status ecclesiasticus privaretur; 4. exigit id jus naturale, naturalis aequitas imo necessitas, ut cum status ecclesiasticus aequaliter cum statu laico portet onera publica realia, etiam aequaliter cum ipsis fruatur favoribus, praesertim

cum Sua Majestas in jure statuario praeprimis incolumitatem status ecclesiastici, a quo incrementum fidei catholicae dependet, tantopere recommendaverit; 5. si pro qualibet emptione deberet regius peti consensus, id et Suae M^{ti} et statui laico et ecclesiastico molestum foret, imo damnosum, nam saepe ob periculum in mora momentaneum ex consensus regii defectu novae lites, controversiae et novae expensae causarentur, praesertim si status ecclesiasticus praetenderet hoc vergere in praejudicium immunitatis ecclesiasticae et communibus pontificiis et caesareis juribus contrariari (citant his tabulae canones, censuras latas pontificum doctoresque tam civiles quam canonicos).

His ita se habentibus et siquidem similia status ecclesiastici jura in coronationibus regum sint confirmata cedantque ad maius fidei catholicae incrementum, impetrandam benedictionem caelestem et successionem masculam in domo Austriaca, svadent tabulae regiae, ut status ecclesiasticus penes jura hactenus possessa salvus consistat. Factum est hoc et ad locumtenentiam et per hanc ad aulam Viennensem missum a. 1670 in Decembri.

5. Responsum seu parere locumtenentiae ad Suam M^{tem} super praefato modo et temperamento acquisitionis bonorum stabilium ad manus ecclesiasticas, allegata supra fatam informationem tabularum regni, ad quam conformiter hic dicitur: Cum status ecclesiasticus super passu hoc non sit auditus et d. parens Ferdinandus III. nihil unquam nec quidem in compactatis pacis Monasteriensis quidquam contra jus acquirendi bona immobilia personis ecclesiasticis audire voluerit et quia jamjam advertitur aliqua disconsolatio, pusillanimitas et lamentatio apud statum ecclesiasticum, in publicis vero comitiis inter status collisiones et murmura causari possent, idcirco svadent locumtenentes, ut status ecclesiasticus maneat penes jus antiquum quaesitum sitque in eo tuendus ac simul etiam contractus salis magis stabiliendus et ratihabendus, ut sic status ecclesiasticus utpote pupilla oculi Christi pro bono publico etiam quoad concursum ad onera publica conservetur. Datum Pragae 9. (sed primo expeditum 31.) Decembris 1670.

Haec duo locumtenentiae et tabularum sentimenta ac informationes videntur saepe dictam Majestatem Leopoldum I. pacavisse et ab ulteriori tali temperamento (quanquam ab eo tempore in emptionibus honorum caesareus consensus jam peti debuerit) absteruisse, nam nihil amplius invenio motum, donec filius illius Aug. Imp. Carolus VI. post 43 annos, i. e. anno 1713 rem hanc (licet alio modo) aggressus sit, quod mox audiemus; nam emanavit:

6. Caesareum rescriptum dd. 30. Maii 1713, quo S. M. mandat, ut locumtenentes a tabulis regni et capitaneis districtuum,

an illa status ecclesiastici individua, quae a Sua M^o pro emendis bonis consensum impetrarunt, respectu sic emptorum adaequatum aequivalens statui saeculari vendiderint, aut in quantum adhuc vendere teneantur, informationem accipiant et Suae M^{ti} transmittant. (Est hoc rescriptum in duplici copia). Desuper:

7. Conceptus originalis confessionis seu fassionis factae a monasterio S. Nicolai, quid ab a. 1630 usque ad a. 1714 emerit et vicissim vendiderit. Et quidem fatetur, se in Czakovicio et Stirzinio vendidisse pro 31.933 fl. 20 kr., in Popovicio vero, Augezdecz, Chodow et Scheberof emisse pro 66.796 fl. Datum ad S. Nicolaum 3. Maii 1714. Hanc super (et indubie aliorum monasteriorum) fassionem emanavit brevi:

8. Caesareum rescriptum dd. 25. Aprilis 1715, quo S. M. locumtenentibus mandat, ut ab illis status ecclesiastici individuis, quae respectu emptorum aliquod vel non sufficiens seu non adaequatum aequivalens hactenus non vendiderunt, declarationes exigant, quidnam in specie pro aequivalenti ad manus laicas vendere velint. Supra hoc rescriptum emanavit sequens:

9. Decretum locumtenentiae dd. 26. Novemb. 1715 ad d. abbatem S. Nicolai, in quo ei intimatur, quod monasterium ei commissum respectu bonorum immobilium acquiritorum pro aequivalenti vendere teneatur immobile pro 47.036 fl. 20 kr. ad manus laicas, ut itaque d. abbas 1. verum pretium praediorum suorum ac fundorum omnium genuine fateatur; 2. qualia corpora pro aequivalenti ad manus laicas vendere velit intra spatium 6 septimanarum se declaret. Huic decreto pro allegato adjacet extractus ex tabulis regni, quod monasterium S. Nicolai ab a. 1670 vendiderit bona pro 27.100 fl., emerit vero pro 74.136 fl. 20 kr. Restet ergo pro aequivalenti supra specificatos 47.036 fl. 20 kr.

Ad hoc tam arduum punctum sequitur:

10. Responsum Rev. d. abbatis S. Nicolai ad regios locumtenentes 18. Maii 1716 porrectum (in Copia), in quo idem d. abbas fuse demonstrat: 1. Leopoldum Imperatorem de a. 1669 ideo tantum statui ecclesiastico prohibuisse emptionem bonorum immobilium sine consensu regio, ne scilicet status ecclesiasticus ultra suas primaevas foundationes in possessionibus excrescat, ergo a contrario illi, qui ultra suas primaevas foundationes se extendere non intendunt, ab acquisitione bonorum immobilium non excludantur; 2. quamquam ex monasterio Emautino cum omnibus juribus et possessionibus extra muros Emautinos situatis translati simus, adhuc tamen longe abest, ut vel aequivalens respectu Emautini monasterii possideamus; 3. Leopoldus I. a. 1670 (ut supra) rescripsit, se nullo modo velle privative excludere statum ecclesiasticum ab acquisitione bonorum immobilium, imo jubet a

statu ecclesiastico istam impressionem tolli et omnia in pristino statu relinqui; haec ergo posterior Leopoldi voluntas correxerit priorem de a. 1669. Ex qua fundamentali ratione; 4. tabulae regni emptiones Popovitz, Stirzinii, Chodow et Augezdecz sine omni scrupulo ad intabulandum suscepere e contra 5. Scheberofium cum intabulato regio consensu, qui sine omni restrictione aequivalens vendendi datus est, emptum est; 6. cum venditio Czakovicii et Stirzinii facta fuerit propter caesarem ad deponendum illi subsidium, de quo nec obulo hactenus est bonificatio facta, emptio Scheberofii non tam erit nova acquisitio, quam compensatio accedit, quod Leopoldus illud: Sub qualitate laicali semper reluibili de iis tantum monasteriis, quae aliunde bene fundata et bene possessionata sunt, intelligendum esse explicaverit; 7. Monasterium nostrum non habet ulla debita activa, sed notoria tantum passiva 40 millium, census exiguos, qui una cum contingenti ex cassa salis antiquos census prorsus non attingunt; 8. Empta ultimo bona pariter prorsus non attingunt in pretio bona olim possessa; 9. per contractum salis reservatum est monasteriis jus reluitionis; si ergo multa reluibilia non sunt, concedendum est monasteriis, ut alia emere possint, quae emptio non tam erit nova acquisitio quam possessorum recuperatio, nec per hoc statui laico nocetur, possent enim aliae rationes adduci, ob quas status laicalis deficit, videmus enim, ut quovis anno laicalia bona venalia prostent. Accedit, quod status ecclesiasticus praestationes publicas melius persolvat quam multa membra status laici. 10. Considerandum est, quam magnificentum monasterium in translatione nostra reliquerimus et quam miserum locum acquisierimus et quae et quanta ad eum instaurandum imponere debuerimus. 11. Denique, si fratres mendicantes possunt penes magna capitalia contra statuta et regulas ordinum bona immobilia possidere, cur non monasteria abbatialia, quae tamen faciunt statum? Desuper rogat d. supplicans, ut ob deductas rationes id efficiant, ut maneat monasterium penes suas possessiones, si tamen aliter fieri nequiret, offerat venale Scheberofium, ea tamen expressa conditione, ut comes Schlick nobis iterum vendat totum Czakovicium pro eo pretio, quo emit, nimirum 18.833 fl. 20 kr.

Porro huius responsi adjacet etiam copia in latinum translata, sicut et copia consensus Caes. ad emendum Scheberof in responso allegati. Hoc responsum in Germanico idiomate valde fuse et nervose datum videtur . . . Occasione huius aequivalentis a caesare praetensi reperies etiam hic consignationem.

11. Monasterii Sedlecensis et Aulae Regensis Cisterciensium quoad bona temporalia, quae olim possederint et amiserint, et quidem Sedlecensis in duplici copia cum extractu Boemico ex antiquis registris capituli ecclesiae Metropolitanae. Emanavit iterum :

12. a. 1725, 5. Novemb. decretum a locumtenentia ad omnes capitaneos districtuum, ut ad inquirendas in monasteriis pensiones laicas seu ita vocata Layen-Pfründen ab omnibus monasteriis suorum districtuum authenticas foundationum suarum primaeviarum copias juxta mandatum Suae M^{tes} levent et eidem (tergiversaturis per compulsoriale ad id compellendis) transmittant. Hoc decretum dum nostro d. abbati a comite Tschernin capitaneo Neo-Urbensi (Vetero-Pragensi absente) communicatum fuisset, eidem d. comiti instrumentum duntaxat unum, id est omnium primum idque Carolinum, quod incipit »Rex magnificus« ab adm. Rev. P. Carolo Zaruba, professo ad S. Joannem sub rupe, philosophiae in collegio archiepiscopali Pragae professore, vidimatum, immanatum fuit, cuius copia supramentionatae copiae decreti adjuncta habetur.

V. Fasciculus, in quo quaedam de studio in collegio archiepiscopali vulgo Aulae Regiae Vetero-Pragae, et quidem: I. Supplica a Rev. d. visitatore Benedictinorum et congregatione ei subordinata ad d. archiepiscopum Matthaeum Ferdinandum de a. 1670, 18. Julii, in qua supplicatur, ut non tantum ff. juniores lectiones ibidem dictatas frequentent, verum etiam, si qui apti invenirentur, postmodum philosophiam ac theologiam ordine congruo servato profiteri possent. Vicissim spondetur, quod idoneum subjectum prius archiepiscopo praesentabitur et si tale subjectum non haberet, nec ab alia incorporata religione habere posset, se (id est ordinem Benedictinum) vel 200 sexagenas in parato numeraturum, vel eas recepta quiettantia a quota salis esse detrahendas. Quia vero ordo Benedictinus hactenus pusillus est, supplicatur ulterius, ut ordo docendi super Benedictinos duntaxat veniat, postquam Praemonstratenses et Cistercienses bis docuerunt, è contra si dictis ordinibus subjecta deessent, ordo Benedictinus mox intrare possit.

Huic supplicationi in continenti adjuncta est ratihabitio et assensus eiusdem Celsissimi de a. 1670, 28. Julii; utrumque in originali et copia.

2. Copia praesentationis archiepiscopo facta pro professura philosophiae in Aula Regia patris Caspari Eimer professi Braunensis. Adjacet:

3. Extractus ex instrumento Cels. principis circa regulas alumnorum et observationes regularium circa studia emanato a. 1689, 2. Novembris.

4. Conventio Celsiss. principis Joannis Friederici comitis de Waldstein, archiepiscopi Prag. cum ordinibus abbatialibus et dispositio circa studium et cathedras in collegio archiepiscopali, in qua imprimis dicitur: Cardinalem ab Harrach hoc studium et collegium erexisse et pro interim ex defectu aliorum subjectorum patres Hybemos professores assumpsisse, Matthaeum vero Fer-

dinandum antecessorem suum etiam cathedram juris canonici adiecisse. Desuper causa exponitur amotionis PP. Hybernorum, nimirum propter eorum crebras mutationes et quod non habeant cognitionem et discretionem personarum, ideo conventionem hic fieri perpetuo duraturam cum visitoribus ordinum Praemonstrat. et Cisterciensis sequentibus hic strictim appositis punctis: 1. Ut ordo Benedictinus utpote maxime passus maneat in statu quo fuit, ita ut non nisi professores philosophiae singulis sexenniis, postquam videlicet seminarium archiepiscopale, ordo Praemonstrat. et Cisterciensis binis vicibus dedissent professores, subministrare teneatur. Quod si tamen (ait Celsissimus idem hic) successu temporis majus onus in se suscipere et tam seminarium archiepiscopale quam praefatos ordines sublevare voluerit, non intendimus (praevio tamen consilio et assensu dictorum d. visitorum, qui huiusmodi onus in se susceperunt) viam praeccludere. 2. Pater Godefridus Stehr, quia iam s. canonum professor est emeritus, habeat prae aliis praecedentiam, successores vero alios praecedent duo professores theologiae 3. et 4. puncto recensetur, quo ordine sibi succedere debeant professores et quod praesentandi debeant esse doctores promoti vel saltem intra annum promovendi professoribusque duobus simul a seminario archiepiscopali pendendos esse ut olim Hybernis 120 fl. Quivis theologiae professor perduret per sexennium, nec sit sine consensu archiepiscopi avocabilis, nisi morte vel electione ad dignitatem. 5. ordinatur, quomodo Praemonstratenses et Cistercienses alternative docere debeant loco seminarii archiepiscopalis et quidem uterque pro 120 fl. eis simul pendendis: 6. est de praecedentia, archiepiscopales ut sint semper primi et si Praemonstrat. ordo praesideat, faveat praecedentiam Cisterciensi et vicissim. Subscripta et subsignata est haec conventio ab archiepiscopo, decano Metropolitano et novem abbatibus Praemonstrat.-Cisterciensibus, nullo Benedictino.

Tandem adjacent fasciculo huic nomina RR. ac doctissimorum dd. theologorum condiscipulorum ab a. 1675 usque ad a. 1678 exclusive, qui nimirum in Aula Regia studuerunt, conscripta alphabetice a R. P. Mauro Rauczka, eorum condiscipulo.

VI. Litterae seu epistola nomine S. Congregationis Cardinal. Concilii Tridentini interpretum ad Matthaeum Ferdinandum archiepiscopum Pragensem dd. Romae 1669, 21. Sept. in quibus admonetur, ut expeditis ex beneficiis saecularibus sacerdotibus regularibus beneficia saecularia saecularibus, religiosa religiosis conferantur. Desuper copia epistolae eiusdem d. archiepiscopi ad vicarios suos foraneos, in quibus 1. jubet, ad proximum festum s. Galli omnes regulares ex parochiis abire, nisi regulares in

locum illum habeant tam dominium temporale quam jus patronatus, secus si habeant quidem temporale, non tamen habeant jus patronatus: 2. vehementer conqueritur de immunditia in multis ecclesiis et negligentia sacrorum suppellectilium, unde in virtute s. obedientiae mandat ecclesias inopinato visitari et tales sordidos parochos sibi denunciari. Datae 7. Januar. 1671. N. B. Ad episcopum Litomericensem a curia Romana tale decretum de beneficiis regularibus et saecularibus venit citius dd. Romae 1664, 27. Septemb., cuius copia habetur in archivo lit. T. fasc. 2. Num. 9.

VII. Rubricae seu puncta 42 nomine Celsissimi principis archiepiscopi Prag. a d. Wenceslao Bilek a Bilenberg officiali omnibus vicariis foraneis proposita, ut desuper respondeant. Sunt autem dicta puncta de nominibus parochorum, parochiarum, de earundem ecclesiis, fundis, suppellectilibus, ecclesiarum patronis etc.

VIII. Supplica Generalium ordinum religiosorum ad Imperatoriam M^{tem} super inhibitionem caesaream factam de non tradendis studiis pro saecularibus in monasteriis et de non habendis amplius disputationibus publicis religiosorum cum desuper emanato caes. rescriptu. Casus est iste: Inhibuerat Sua M^{tas} Leopoldus I. de 14. Januar. 1694 omnibus religiosis, primum quidem Dominicanis (unde haec inhibitio a. Reg. locumtenentia prima vice Dominicanis ad S. Aegidium communicata fuit), ne amplius audeant instruere in humanioribus disciplinis, aut philosophia vel theologia ullos saeculares adolescentes, nec nobiles, nec etiam ullas disputationes habere. Quantum ex hac supplica colligere licet, videtur ab aliquibus caesar persuasus fuisse, hoc privatum apud religiosos studium vergere in praejudicium publici studii universitatis Prag. Supplicant ergo hic et subscripti sunt novem procuratores generales ordinum, inter quos et Cistercienses ac Praemonstratenses, ut Sua M^{tas} talem prohibitionem tollat, idque principaliter ex duabus causis: 1. ne ordines hi ingrati esse cogantur suis patronis et benefactoribus; 2. ne suspicionem incurrant religiosi, quod falsas aut plane haereticas sententias doceant, ubi pariter quaeritur: Quis ante erectam academiam docuerit? Super hanc supplicam rescripsit Sua M^{tas} locumtenentiae, ut desuper audiatur universitas Pragensis, sentimentumque suum in hoc passu locumtenentia caesari transcribat. Datum est hoc rescriptum a. 1695, 16. Augusti. Supplicam hanc suum habuisse effectum docet continua experientia. Plura de hac materia in hoc archivo non habentur.

IX. Sententia impressa Romae lata in causa exemptionis vergente inter commendatorem commendae in Gröbnig S. ordinis Hierosolymit. comitem de Herberstein actorem ex una, et inter

episcopum Wratislaviensem eiusque consistorium ex altera parte, vi cuius sententiae idem d. commendator decernitur omnimode exemptus ab omni et qualicumque jurisdictione episcopi Wratislaviensis et consistorii illius, insuper idem episcopus ad omnes expensas damnatur et omnes priores actus in contrarium acti irritantur et annullantur. Romae ex magna curia Innocentiana in monte Citatorio a. 1708, 8. Augusti.

X. Responsa copialia trium ordinum, videlicet Benedictinorum Cisterciensium et Praemonstratensium supra inhibitionem 1. pontificalium extra propriam ecclesiam. 2. gestationis crucis pectoralis, 3. consecrationis campanarum, altarium portatilium, factam a Cels. principe Ferdinando a Khüenburg archiepiscopo Prag. a. 1714, missam a consistorio abbati S. Nicolai Rev. d. Mauro (quam tamen inhibitionem in archivo non reperio) jam ad mortem infirmo 6. Aug. anni citati. Quoad consecrationem campanarum, altarium portatilium etc. extra proprias ecclesias respondent Cistercienses et Benedictini, id sibi licere ex privilegio et consuetudine. Praemonstratenses ajunt: absque signatori apostolico privilegio vel annutu archiepiscopi id non licere, nec apud Praemonstratenses hoc praticari. Quoad gestationem crucularum, usum pontificalium extra proprias ecclesias probant omnes tres ordines tum autoritate tum ratione id sibi non esse prohibitum. Quod Rev. d. abbatem S. Nicolai in hoc passu attinet, ille post sui infulationem in ecclesia Metropolitana a. 1717, 23. Maii factam scripto petere debuit et accepit licentiam pontificandi ubivis ad tres annos, attamen in hodiernum, qui est 14^{us} ab infulatione annus, pontificalibus utitur locorum ubivis absque nova petita vel impetrata licentia. Similiter etiam reliquas functiones in dicta prohibitione vetitas absque ullius contradictione frequentissime exercet, ut jam exolevisse aut minus habens inventa fuisse videatur mentionata prohibitio. Porro responsum Benedictinorum nec Celsissimo porrectum fuisse, in ipsa eius copia signatum invenitur.

XI. Extractus litterarum a Josepho Christeli, throni B. V. M. in Gemnico priore, per Alemanniam Superiorem visitatore Carthusianorum, ad Rev. d. Vitum Korais Carthusiae Waldensis priorem, ratione patris Hugonis Mellagen, quem capi et incarcerari jubet. Hic P. Mellagen praxibus miris Pragae rem adeo procul deduxit, ut empto jam multis millibus spatio post Augezdensem portam et convecto lapide sufficienti pro nova Carthusia erigenda ipsum Imperatorem Carolum VI., tunc ob sui coronationem Pragae existentem, invitaverit et persvaserit ad lapidem fundamentalem Carthusiae novae ponendum, sed dominus territorialis, ut dicebatur, princeps quidam (Schwartzenberg uti autumo) imperatorem ab hoc actu avertit. Captus est tandem Mellagen

iste hic Pragrae, sacerdos (ut visitator Carthusianorum eum hic nominat) insigniter criminosis et nescio an Giczinii vel Viennae in carcere (ut dicebatur) mortuus est.

XII. De instituto Jesuitissarum suppresso ab Urbano VIII. adnitentibus praecipue PPribus S. J. de a. 1624. Ex Nicolio editionis Romanae Jacobi Dragondelli a. 1662.

XIII. A. 1477 Copia oppignorationis unius pagi monasterii Töpliensis Ssonow dicti . . . per Wladislaum Boemiae regem Nicolao de Landstein pro 200 sexag. gross. Boemicorum a. 1477 factae.

XIV. Relatio historica de sacris reliquiis nominatim vestibus B. V. M. et aliis ad monasterium Nieder-Münster sanctimonialium Ratisbonae Jerosolyma olim allatis ibidemque obconditis ac miraculose patefactis, tempore vero Lutheri iterum confusis, ac deinde rursus ex instinctu Dei operose conquisitis et ad altare B. Virginis impositis.

XV. A. 1664, 5. Novembr. Duplex decretum seu scriptum magistri Rudesindi Mosica congregationis ord. S. Benedicti in Hispaniae et Angliae regnis, nec non monasteriorum Monserratiensium in Germania generalis et regis catholici concionatoris; in 1. creat praedictus magister generalis Andream Gomez in procuratorem generalem monasteriorum Pragensis et Viennensis congregationis Hispanicae praecipitque abbatibus, ut eum pro tali agnoscant et recipiant. In 2. praecipit abbati Antonio de Soto-Maior Pragensis et Viennensis monasterii abbati (qui a. 1675 fuit suffraganeus archiepiscopi Pragensis, imprimis d. Matthaei a Bilenberg, deinde Joannis Friderici com. de Waldstein) sub poena excommunicationis majoris latae sententiae et aliis gravissimis poenis, ut in regimine praedictorum monasteriorum conformetur in omnibus legibus et statutis congregationis Hispanicae.

XVI. A. 1668, 20. Martii. Supplex epistola capitularium ecclesiae Metropolitanae sede archiepiscopali vacante, exemptionem sanctimonialium in castro Pragensi ad s. Georgium impugnantium, data ad comitem Martinitz, supremum in Boemia burggrabium, ut libere possint visitare canonicè dictas sanctimoniales. Huic epistolae acclusa est copia privilegii a Gregorio VIII. a. 1233 eisdem sanctimonialibus concessi, in quo Pontifex dictum monasterium in suam recipit protectionem.

XVII. Copia brevis apostolici Innocentii XI. de a. 1683, 6. Februarii in causa exemptionis inter regulares ordines civitatis Mechliniensis et archiepiscopum ibidem, vi cuius plenissime exempti dicuntur dicti ordines ab archiepiscopo, adeo ut nec simplicem ei obedientiam promittere teneantur.

XVIII. A. 1712 Extractus litterarum de expilato monasterio s. Galli in Helvetia.

XIX. A. 1620 Specificatio deputati seu censuum, qui monasteriis in Boëmia quotannis a diversis dari debent, in qua pro monasterio Slovanensi specificantur 178 sexagenae, pro universis vero monasteriis 14.579 sexag.

XX. A. 1705, 16. (resp. 18.) Decemb. Sententia caesarea contra conventum ordinis Min. S. Francisci Viennensem ex eo, quod impositos a sede apostolica et Sua M^{te} resp. provincialem et guardianum sub praetextu mandati a Suo generali despotice ex dignitatibus suis deposuerint et incarceraverint ac alia gravia commiserint, ut illi incarcerati mox excarcerentur et suis officiis restituantur, novi vero impositi et authores huius ex omnibus terris hereditariis et e Vienna quidem intra 24 horas exeant, deprecationem publicam per deputatos faciant etc., quae sententia per rescriptum communicata fuit locumtenentiae Pragensi publicanda conventibus eiusdem ordinis in praecautelam.

XXI. A. 1706, 22. Januar. Rescriptum Josephinum circa prohibitum cultum sub censuris ecclesiasticis publicum imaginis B. V. Mariae gravidae in Carlshof etc., vi cuius demandatur archiepiscopo, ut eiusmodi censuras (quas notorie sine scitu Suae M^{te} fèrre non valet) suspendat, et omnia relinquat in statu quo causamque huius sui procedere ad aulam transmittat.

XXII. A. 1732, 17. April. Litterae a tabulis regni ad nostrum d. abbatem (missae etiam omnibus aliis monasteriorum superioribus) petitoriae discretionis pro d. Skrintz ex eo, quod iuxta mandatum Caes. de a. 1714, 7. Decembris elaboraverit, quid unum quodque monasterium de bonis immobilibus vendiderit et quale aequivalens emerit. Ad has litteras nihil est responsum nec datum.

XXIII. Fasciculus monasteria Altovadense et Coronense ord. Cisterciensis concernens, cuius materia est talis: Monasterium Altovadense a dominis Rosenberg in proprio suo fundo est erectum et fundatum, monasterium vero Coronense ab Ottogaro II. rege Boemiae a. 1263, cuius jus patronatus etiam successu temporis ad domum Rosenbergicam venit; cumque dominium Crumloviense (in cuius territorio dicta monasteria sita sunt) ad manus Caesaris ut regis Boemiae devenisset, Ferdinandus II. hoc totum dominium et cum eo etiam protectionem et iura super dicta monasteria dedit et donavit propter fidelia sua sibi exhibita servitia principi ab Eggenberg a. 1632, 23. Decembr. Eggenbergici igitur plenum jus patronatus in dicta monasteria praetendebant abbatesque eorum ex eo, quod sibi dicta monasteria subjecta essent, sessionis in comitiis incapaces asserebant, unde ortae graves in calamis concertationes et quaedam etiam intervenerunt in electione abbatis Coronensis violentiae. Cardinalis Harrach ut archiepiscopus Prag. stetit pro libertate monasteriorum, commissarii vero ad hoc

negotium examinandum deputati steterunt pro principe Eggenberg; quomodo decisum, nihil hic reperio, unde etiam scripta ordine consignare ob multorum defectum non valui; in hac parte victores evasisse abbates dictos, quod sessionem in diaeta habeant, notorium est. Porro ex his scriptis (in quorum quibusdam de libertate monasteriorum et abbatum fundamentaliter et docte disseritur) colligo duo notatu digna: 1. cum bona monasteriorum antea fuerint omnia cameralia, quod Ferdinandus I. in suo testamento a se condito exemerit et monasteriis appropriaverit; 2. a. 1627 prima vice abbates regios in statum elevatos et ad sessionem diaetalem (excepto archiepiscopi suffraganeo) admissos fuisse. Per accidens hic annexo, dominium Crumloviense defuncto principe Eggenberg devolutum fuisse ad principem Adamum Schwarzenberg, qui a. 1732, dum Aug. Imp. Carolum VI. veluti supremus stabuli praefectus ad Boemiam comitaretur, 10. Junii ab ipsomet Imperatore Brundusii ad Vetero-Boleslaviam jaculando cervo avidius intento trajectus fuit, sequenti die i. e. 11. Junii resignatis-ime et piissime mortuus, pro cuius anima nostrum monasterium ad instantiam nostri Rev. d. abbatis etiam centum missas legendas et consequenter 50 fl. pecuniae accepit, quae ecclesiae nostrae Nicolaeae plane tunc extrui coeptae, applicata fuit.

Inter scripta praedicta etiam reperio, sub Ferdinando II. proverbium fuisse: eundem Ferdinandum habere tres ingentes montes, nimirum Eggenberg, Werdenberg, Questenberg, et tres pretiosas gemmas, Dietrichstein, Wallstein et Lichtenstein: hi erant enim potentissimi in terris haereditariis; verum Eggenberg ille, utut non tantum apud imperatorem sed etiam totum imperium in summo honore habitus, deinde detecta Friedlandica factione omni honore excidit et aegre se ad Styriam salvavit.

Lit. N.

Monasteria congregationis Benedictinae Boemo-Moravicae tum in genere tum in specie concernentia.

Fasc. I.

Num. I. Copia bullae Innocentii VII., qua conceditur fratribus monasterii Brzewnowiensis et illius membris esus carniū a Septuagesima usque ad Dominicam Quinquagesimae inclusive, ita tamen, ut duabus hebdomadibus ante Pentecosten item per Adventum (quod aliunde faciebant) et omnibus feriis quartis per annum a carnibus abstineant. Ubi duo observo: imprimis titulum »Dilectis filiis Diwissio abbati et conventui monasterii Brzewnowiensis prope Pragam Romanae ecclesiae NB. immediate subjecti etc.; 2. quod cum (uti petitio dicti Diwissii et conventus continebat) ex regularibus institutis ordinis dicti religiosi in praefato monasterio

carnibus vesci possint, praeterquam in adventu et quartis feriis, quomodo hic petunt secum dispensari a Dominica Septuag. usque ad Quinquag., videntur ergo olim ab esu carniū cessasse Dominica Septuag. Datam esse hanc bullam a. 1404, inde colligo, quia cum in ea pontifex dicat: Datum Romae apud S. Petrum 16. Calend. Decembris (i. e. 16. Novembris) pontificatus nostri anno primo et ille (juxta seriem Roman. pontificum a Joanne Josepho Pock conscriptam) 17. Octobris a. 1404 sit electus, sequitur, eodem anno hanc bullam esse datam. Antecessor illius Bonifacius IX. plene excepit seu exemit monasterium Brzewnoviense ab omni jurisdictione episcoporum x.

II. Copia unionis charitativae congregationis Boemicae Benedictinae cum Cassinensibus factae ad instantiam Cels. principis Matthaei Ferdinandi archiepiscopi Prag. mediante Rev. d. archiabbate monasterii Cassinensis a d. Joanne a Mutina praesidente caeterisque diffinitoribus Capituli generalis congregationis Cassinensis in comitiis apud insigne monasterium s. Benedicti de Mantua coactis a. 1669, 20. Maii, vi cuius unionis congregatio Bohemo-Benedictina recipitur in participationem omnium bonorum operum et privilegiorum.

III. Duae litterarum copiae: 1. a d. praesidente congregationis Cassinensis ad d. Thomam visitatorem nostrum dd. Papiae 26. Novemb. 1669, in quibus respondet, se accepisse contestationem affectus ob unionem praedictam, deinde pathetice svadet, ut ex monasteriis Germaniae, Galliae, Helvetiae et Italiae fiat unum corpus, prout aliae religiones habent. 2. copia ab abbate archicoenobii Cassinensis dd. 1669, 4. Cal. Octobr., ubi pariter se gratiarum actorias propter unionem factam accepisse profitetur et de reliquo omnia fausta apprecatur.

IV. Specificatio indulgentiarum, quas S. congregatio Cassinensis a diversis summis pontificibus accepit.

V. A. 1710. Triplex scriptum Confoederationem monasteriorum Benedictinorum in Boemia cum academia Salisburgensi concernens: 1. Litterae Salisburgo a rectore P. Caelestino Romuser, in quibus docet, quomodo petenda et instituenda dicta confoederatio; 2. sunt puncta confoederationis; 3. consveta confoederationis formula. Ego non video, quod aliquid ex ista confoederatione sit factum.

VI. Epistola d. Floriani Hamerschmidt. } Von uns mitgetheilt in
VII. Epistola d. Bernardi Pez de a. 1709. } diesen Blättern Jhrgg.
VIII. Epistola eiusdem de a. 1710. } 1889. S. 256—259.

IX. A. 1712, 6. Maii. Epistola a R. P. Romano Teuber suppiore Braunensi ad nostrum P. Benedictum Possiwal priorem, in qua petitur delineatio nostri monasterii per pictorem facienda

et transmittenda ad aliquod monasterium imperiale, ubi novum opus de ordine S. Benedicti conficitur.

X. A. 1732, 24. Octobr. Litterae a Rev. d. visitatore nostro ad omnes congregationis nostrae abbates missae cum acclusa copia litterarum ad se a cardinale Corradino ordinis nostri protectore missarum, quibus petitur, ut ad restaurandum monasterium in Sublaco, ubi S. P. Benedictus ordinis fundamenta jecit, Rev. d. visitator aliquo subsidio pecuniario concurrat; quocirca petit d. visitator, ut etiam alia monasteria congregationis nostrae ad hoc concurrant. Verum ex parte s. Nicolai responsum est Rev. d. visitatori sub 30. Octobris, sperasse nostrum d. abbatem, quod Rev. d. visitator potius nostro monasterio ob aedificationem novae ecclesiae in magna indigentia constituto succurret, quam Sublaco, eumque nunc optimam habere occasionem implorandi dicti cardinalis interventionem pro impetranda tot annis petita pecunia salis.

Fasc. II.

Monasterium Brzewnowiense, exemptionem et commissarios archiepiscopales in electionibus abbatum concernentia.

Argumentum:

Pauca quaedam hic reperiuntur, quae Brzewnowiense monasterium concernendo punctum exemptionis aut commissariorum archiepiscopalium non attingunt, unde ea primo loco collocare autumavi. De ipsa vero exemptione pariter praeter unum libellum iudicium archiepiscopi contra exemptionem ad nunciaturam apostolicam datum non multa habentur et quia fons litigii circa commissarios archiepiscopales ad electiones abbatum admittendos vel non admittendos est ipsa exemptio vel non exemptio. hinc hae duo: Exemptio et admissio commissariorum simul ambulat et disgregari non possunt et quoniam non minus in electione moderni nostri Rev. d. abbatis Anselmi, quam aliis antecedentibus Cladrubiensium et S. Procopii electionibus archiepiscopus Pragensis suos commissarios ingerere nitebatur, hinc specifica electionis Anselmeae materia (quam oportebat non disgregari et in qua rescripta caesarea commissarios archiepiscopales ab electionibus Benedictinis excludentia sunt reposita) huc pro notitia trahi debet. Porro fundamentum litigii de exemptione videtur dedisse conventus s. Procopii, cui mortuo Rev. d. Hdephonso Nigrin professo Braunensi et loci abbate, Rev. d. visitator Thomas ex eo, quod non haberent Procopiani subjectum pro officio abbatiali idoneum, a. 1680 in abbatem praestituit P. Gregorium Aulik professum Braunensem, quod conventus dictus graviter ferens, sibi, cum eorum novem sint, tolli libertatem eligendi, recurrit ad Cels. principem archiepiscopum Joannem

Fridericum comitem de Waldstein, qui conventus causam assumens effecit, quod mentionatus Gregorius Aulik abbatiae debuerit resignare et conventus via postulationis sibi elegerit d. Caelestinum Gindrzich professum Cladrubiensem; unde postea etiam in aliis subsequentis electionibus se ingerebat archiepiscopus et electioni quidem abbatis s. Nicolai d. Mauri altefatus Cels. d. Waldstein (protestante in flagranti d. visitatore Thoma) personaliter interfuit, Cladrubienses vero eligentes a. 1680 d. Tobiam Hohmann, quia pro commissariis archiepiscopalibus non supplicarunt, factam electionem annullavit et tum electum tum eligentes sibi deprecari adegit ac deinde confirmavit. Quo d. Tobia rursus mortuo successor domini Waldstein Cels. Joannes Josephus Breuner a. 1701 Cladrubiensibus sub poena privationis vocis activae et passivae inhibuit electionem sine suis commissariis attentandam; cui cum se veluti murus fortissimus opposuisset modernus Rev. d. Othmarus visitator et exemptionem fortiter allegasset, negotium hoc in generalem quaestionem transiit, an Congregatio Benedictina in Boemia sit exempta? Quae quaestio tracta ad judicem pro et contra fusissime ventilata (dum interim congregationi dictae suffragaretur possessio) ob magnas utrinque probabilitates et actus multos in oppositum practicatos, nondum — dum haec scribo a. 1731 — decisa quiescit apud nunciaturam Viennensem.

(Es folgt das Verzeichniss der einzelnen Urkunden, zumeist neueren Datums.)

Fasc. III.

Monasterium Cladrubiense concernentia.

Argumentum.

Cladrubiensia hic consignata habe, quorum praeter electionem d. Tobiae Hohmann et d. Mauri Findsguth concernentia pauca hic habentur. Praejudiciosi nimirum fuere actus dicti d. Tobiae post suam electionem, sicut et illius conventus ex eo, quod ratificaverint annulationem electionis ob non habitos commissarios archiepiscopales a Cels. d. principe Waldstein archiepiscopo Prag. factam, qua ratificatione obtinuerunt confirmationem electionis eiusdem a dicto principe, unde in electione d. Mauri absolute archiepiscopus Prag. Breuner suos commissarios praesentes habere volebat, verum opposuit se fortissime Rev. d. Othmarus visitator, unde etiam sine eiusmodi archiepiscopalibus a. 1701, 13. Julii electus est; quocirca idem Celsissimus eundem neoelectum pro abbate agnoscere noluit, agnovit tamen postea eumque per d. suffraganeum suum in nostra ecclesia s. Nicolai (ut tamen sibi ut ordinario, dum juramentum depositurus esset, obedientiam promitteret, quam etiam juxta formulam ei ab archiepiscopo praescriptam promisit) dominica ultima ante Nativitatem D. infulari indulsit. Haec ergo huius electionis materia

pars est ad exemptionem nostrae congregationis appertinens, quam tamen, ut facilius discernatur, in specialem fasciculum segregare placuit. Scripta hic sunt triplicia disparata: 1. quaedam antiqua in materia quoad nos nullius momenti; 2. concernentia dictas duas electiones; 3. litterae d. Mauri abbatis Cladrubiensis ad capitulum provinciale nostrae congregationis, dum a. 1721 ad capitulum apud S. Margaretham celebratum (ipse nec per se nec per suos religiosos comparans) quasdam novas observantias, ut perpetuum cantum vesperarum etiam ferialium a capitulo non approbatas misisset et insuper, quod nec per se nec per alios comparauerit, leviter reprehensus fuisset.

(Folgt das Verzeichnis der einzelnen Urkunden.)

Fasc. IV.

Monasteria s. Procopii et s. Joannis sub rupe
concernentia.

Argumentum.

Pauca circa monasterium s. Procopii, pauciora circa monasterium s. Joannis sub rupe in nostro archivo reperiuntur scripta, sed quorum prima tantam molem indignant, quod magnus liber eam vix capere possit. Ego, ut his pauculis scriptis lumen aliquod subministrarem, strictim magnam illam mutationem orbi quasi toti scandalosam et ab ipsis superis (si dici fas est) detestatam hic communicabo, ille viderit, qui causam tanto scandalo dedit, nec ego determinare possum, cui origo tanti mali genuine sit adscribenda; ponam illadem in nuce. Anno 1703, 24. Aprilis electus post quartam rotationem (quia abbatizabant omnes) aut potius a Rev. d. visitatore designatus est abbas apud s. Procopium P. Wenceslaus Koschin, eiusdem monasterii professus, ad cuius electionem cum admissi non fuerint commissarii archiepiscopales, hinc Cels. princeps Joannes Jos. Breuner archiepiscopus Prag. nullo modo induci potuit, ut neoelectum vel agnosceret vel infularet, nisi ei se ut ordinario subjiceret; quae res sic pertracta fuit usque ad a. 1709, quo anno morae impatiens, quod tam diu non infulatur, d. Wenceslaus se una cum suo conventu totaliter subiecit archiepiscopo et mox dicto anno 14. Aprilis ibi in loco per suffraganeum infulatus fuit. Re comperta omnibus modis etiam per rescripta caesarea et decreta locumtenentiae tentatum fuit, ut dictus d. Wenceslaus rursus se ordini et congregationi uniret, sed incassum; unde impetrata a caesare facultate a. 1712, 19. Sept. a Rev. d. Visitatore Othmaro tam in temporalibus quam in spiritualibus ibi in loco canonice ab abbacia depositus et ad privatam cellam trusus est; verum sequenti nocte fuga elapsus et impetrato a Sua Majestate salvo conductu (dum interim monasterium s. Procopii ab administratoribus regeretur) eo tandem rem deduxit, quod a. 1719 in

temporalibus a Sua M^o fuerit restitutus, restituente etiam eum in spiritualibus Rev. d. visitatore. Quia vero necdum Rev. d. visitatori parere vellet et disciplina regularis ad s. Procopium pessumiret, habitis aliquot (ad quas nunquam comparuit) canonicis visitationibus, quarum ultima valde afflictiva in praesentia Rev. d. visitoris et compilatoris harum ut notarii apostolici P. Guntheri Jacob (ubi simul ad hoc monasterium nova sex e gremio Braunensi professorum sacerdotum colonia inducta est, loci professis duobus ad alia monasteria translocatis) a 18. Junii 1722 usque ad 2. Sept. duravit. Instituta est auctoritate pontificia et caesarea in loco commissio magna a. 1725, quae (praesente etiam suprafato P. Gunthero) duravit per integrum mensem, cuius commissionis effectus suspensus fuit usque ad a. 1730, quo anno (quia interim se comportare et nec locumtenentiae parere volebat affligendo mire fame sitique novam illuc inductam coloniam) eadem ut supra auctoritate plene exauctoratus et monasterio ac ejus ditionibus exesse jussus est d. Wenceslaus, prout in hodiernum exest et nescio, ubi in satis deplorando statu moratur, postquam 27 annis (includo annos interpolatos depositionis) monasterio suo praefuisset. Substitutus est ei auctoritate quoque pontificia et caesarea qua administrator cum plena potestate et jure P. Bonifacius Fritsch professor Braunensis, qui hactenus multis annis qua regens nostrae congregationis Viennae degebat. Dixi superius mutationem ab ipsis superius detestatam, quia brevi post infulationem eiusdem d. Wenceslai imago S. Procopii in altari ecclesiae s. Procopii collocata aperiebat mirum in modum gyrobatque jam sursum jam deorsum oculos, quod mutationem futuram magnumque exinde oriturum chaos non obscure praesagire videbatur. Quae sacrorum oculorum mira variatio legaliter inspecta ac probata ansam praebuit, quod dicta imago a consistorio Pragensi thaumaturga sit declarata et dies s. Procopio sacer (qui est quarta Julii) in festum fori sub praecepto (saltem mediae diei) sit elevatus.

(Folgt das Verzeichniss der Urkunden.)

Archivi lit. O.

Consignationes seu Auszögl diversorum artificum
et opificum aliarumque expensarum.

Argumentum.

Frustraneum assumpsisse videor laborem, quod consignationes praesentes conscribere et in ordinem redigere assumpserim, quandoquidem nec medietas dictarum consignationum usque ad praesentem 1732 annum hic contineantur, utpote quae residuae (praecipue tot novorum aedificiorum ut abbatiae, refectorii utriusque, conventus utriusque, aedificiorum Popovicensium, Slovanensium, Misskovicensium) adhuc in manibus sunt officialium

oeconomicorum et nec in archivo locum haberent, quarum summa indubitanter quadruplo maior erit quam haec praesens, utpote quae in aliquibus tantum usque in a. 1710 se extendit, reliquis citius in tempore, dum vix aliquid aedificaretur, deficientibus. Quia tamen iam semel archivi instructionem totalem mihi imposui et in eo antiquas has consignationes reperi, in hunc finem eas ordinavi, conjunxi, conscripsi et in unam summam redegi, ut cum tempore facilius inventis addere et consignationes novae adhuc in manibus officialium detentae adjici atque exstructo aliquando integre (quisquis supervixerit) monasterio et ecclesia, omnes expensae simul summari possint, quatenus posteritati, quae aliquando in mollibus dormiet, constet: quanta sedulitate et industria abbatum et subordinatorum monasterium s. Nicolai non tantum mediis temporalibus exigue provisum sed et insuper aere alieno gravatum, absque inventione ullius (quod forte putabitur) thesauri intra paucos annos ex ruderibus imo ex nihilo emerit; qui proinde posteris, quod speramus, gratitudinis non immemores manibus antecessorum suorum, qui de bono posterorum suorum adeo solliciti fuerunt, bene precabuntur. Si tamen novas consignationes artificum et opificum, monasterio et ecclesia perfectis, nemo vellet novo labore antiquis adjicere, eas coordinare, conscribere et generalem summam conficere, saltem serviet hic meus (qui quidem hic videtur valde exiguus, in coordinatione tamen tot scriptorum, excerptione et connumeratione sat fuit operosus) labor curiositati, visuri, quis nostro tempore fuerit medicus, quis chyrurgus, quis pharmacopaeus, quis architectus.

Fasciculus I.

Chyrurgus, pharmacopaeus, mercator et pictor.

Num. I. Chyrurgus.

Chirurgiae consignationes incipiunt praeter propter a. 1688, desinunt a. 1710, quarum quinque sunt sine anno, quae annorum omissio conscriptorem horum per totum archivum saepe multa fastidia causavit. Ab anno igitur 1688 monasterium nostrum chyrurgi loco habebat Julium Mittmann civem, balneatorem et vulnerarium seu Wundarzt usque ad a. 1706, deinde per 7 anni quadrantes chyrurgum a regimine dominum Carolum Nowotny, cui successit a. 1707 d. Ferdinandus Schober, chyrurgus juratus et anatomista, frater nostri defuncti patris Ruperti Schober. Sub his religiosi non tondebantur nisi semel per hebdomadam et insuper, quando erat barbitonsio, sociis dabatur haustus cerevisiae, sectiones venarum, appositiones cucurbitarum et curae medicinales chyrurgicae solvebantur specialiter, pro sola vero barbitonsione dabantur ordinarie annue 20 fl. Domino Schober a. 1716 successit d. Carolus Prechtl chyrurgus ex Laeta Curia seu Teyn,

qui stantis habens 20 fl. tondere facit religiosos toties, quoties per septimanam quis tonderi cupit, nec ulla est obligatio danda (nec datur) sociis cerevisiae, nec specialiter solvuntur venae sectiones aut haemorrhoides vel minores curae chyrgicae, quin imo et saecularibus in monasterio degentibus et subditis gratis plerumque medicinatur. Antememoratis ergo chyrgis et balnearibus usque ad a. 1710 inclusive datos reperio 369 fl. 37 kr.

Num. II. Pharmacopaeus.

Pharmacopaeae consignationes incipiunt ab a. 1694 (consignatio pro a. 1695 desideratur, unde non est in computo) usque ad a. 1709 inclusive; quo a. 1694 apothecarius monasterio serviens erat d. Michael Adalbertus Schöllinger, pharmacopaeus ad Pelikanum, amicus nostri patris Josephi Causalii, qui deinde magna in paupertate Rakonae obiit. Anni 1701 et 1702 rursus nullae exstant consignationes, unde pariter non sunt in computo. Anno 1703 jam serviebat monasterio d. Joannes Jacobus Märkl apothecarius ad Album Unicornu, parens nostri R. patris Antonii Maerkl, qui jus pharmacopaeae emens a dicto d. Schellinger illud ad domum penes ecclesiam Teynensem, suae conjugi et filio modo dicto patri Antonio Maerkl a domino Kučzera legatam, transtulit et pharmacopaeam ad Album Unicornu nominavit. Apud hunc d. Maerkl monasterium mansit usque ad annum . . . (sic), quo anno prima vice medicinas (et omnino longe leviori pretio) accipere coepit et hactenus accipit ex pharmacopaea collegii Clementini S. J. — Consignationes itaque pharmacopaeae usque ad a. 1709 inclusive (exceptis iis, quae ut dixi desunt) efferunt 821 fl. 5 kr.

Num. III. Mercator.

Paucae hic exstant et quantum reor nonnisi quinque annorum consignationes integrae acceptatarum a mercatore mercium, ut aromatum et quidem de a. 1687, 88, 89, 90 et 94, quibus annis pretium earum ad semialterum centum nunquam ascendit; reliquorum annorum (ultimus est de a. 1707) particulares sunt consignationes et pleraeque de vinis acceptis vel ordinariis boëmicis a domino Hromadka, vel externis et peregrinis a domino Martinelli; accessit materialista in 12 fl. 26 kr., alius de a. 1696 pro imaginibus in 4 fl. 15 kr., alius de a. 1700 et 1702 pro piscibus pro 24 fl. 15 kr. Simul sumptae omnes consignationes faciunt 1270 fl. 50 kr.

Num. IV. Pictor.

Pauca hic quoque sunt pictorum. Praecipui sunt: 1^{us} dominus Holbox, qui a. 1702 pro imagine altaris s. Barbarae in antiqua ecclesia (Altarblath) accepit 70 fl. 2^{us} dominus Ignatius Ingerisch, civis et pictor Pragensis, qui auf Niederländische Arth seu ad formam belgicam a. 1706 pinxit et fecit aulaea seu peristromata

in residentia Scheberoviensi, pro quibus accepit 200 fl. 3^{us} dominus Franciscus Prechler; hic a. 1706 pinxerat d. abbati conversionem S. Augustini pro 6 fl., duo contrafait ad librum pro 2 fl. et unum contrafait reparavit pro 30 kr. 4^o alius pictor a. 1704 accepit 26 fl. 30 kr. 5^o alius a. 1708 46 fl. 6^o quidam colorator vor das Anstreichen 6 fl. 18 kr. 7^o Fimbriatori (quem pictoribus associare placuit) dati sunt praeter propter 30 fl., nam pie defunctus d. Maurus abbas liberiam dare solebat fimbriatam. 8^o D. Carolus Kulik, cuius hic adjacet contractus cum Rev. d. Mauro initus de edocendo intra quinquennium Benedicto Raučzka, nepote R^{mi} eiusdem, ita ut idem d. Carolus discipulo suo etiam victum sine amictu tribuat pro 147 fl. universim a. 1705. Hic Benedictus Raučzka jam sic edoctus etiam Benedictinum habitum asumere in nostro monasterio volebat et susceptus iam aliquot diebus chorum choralem frequentabat. sed brevi ei hic status desipuit, unde receptui cauens hinc inde artem pictoriam exercebat et in nostro quidem hyemali refectorio tabulatum superius S. Gregorii Magni, Crucifixum ibidem supra mensam superioralem et S. patrem Paschantem supra portam refectorii, Popovitiū vero in capella S. Procopii omnes tres altarium imagines et alia diversa pinxit; deinde picturus in ecclesia monasterii Aulae-Regiae ibidem in gravem morbum incidit et mortuus est ac — ut petiit — in habitu Cisterciensi ibidem sepultus fuit.

Consignationes ergo pictorum universim faciunt 584 fl. 22 kr.

Fasciculus II.

Aurifaber. Ceroplasta. Pistor. Stannarius. Lorarius.
Num. 1. Aurifaber.

Pauca hic habet et quidem tantum de annis 1693, 1695, 1704 et anno anonymo, quibus annis pro suo labore universim accepit 140 fl. 15 kr.

Num. 2. Ceroplasta.

Prima consignatio ceroplastae est de a. 1686, de a. 1687 non exstat; primus hic ceroplasta fuit quidam Graffer. Ab anno vero 1688 usque ad a. 1709 inclusive currunt consignationes cuiusdam Wenceslai Samuelis Schudt, quae omnes simul sumptae per 22 annos faciunt summam 1802 fl. 38 kr.

Num. 3. Pistor.

Minusculus est, nam nonnisi pro tribus annis consignationes habet, nimirum 1698, 1699 et 1703 videntur pinsuisse alias in monasterio, eius summa: 199 fl. 3 kr. 3 Pf.

Num. 4. Stannarius.

Et hic in parvo pendet, nam de anno duntaxat 1698 et duobus annis anonymis consignationem habens accepit 29 fl. 26 kr.

Num. 5. Lorarius.

Fortior hic est, ab anno enim probabiliter 1687 (nam

aliquot consignationes quoad annos sunt rursus anonymae) usque ad a. 1709 accepit 690 fl. 13 kr.

Fasciculus III.

Carpentarius. Vitriarius. Restiarius. Sutor.

Num. 1. Carpentarius seu Rotarius.

Hic carpentarius, cui adnumero ephippiarium, probabiliter ab a. 1698 usque ad a. 1709 (praeter consignationes in archivo forte non reperibiles) accepit: 281 fl. 12 kr.

Num. 2. Vitriarius.

Vitriarium ab a. 1690 usque ad a. 1705 per quindecim annos accepisse a monasterio nostro reperio: 840 fl. 9 kr.

Num. 3. Restiarius.

Restiarius si non vellet pro suspensio sibi funem facere posset sibi eum emere, nam accepit a monasterio ab a. 1681 usque ad a. 1709 97 fl. 57 kr.

Num. 4. Sutor.

Caput doctoribus, pedes sutoribus victum et amictum ministrant, sic sutor monasterii nostri, praecipue Thomas Smutny ab a. 1697 usque ad a. 1709, quod calceaverit pedes monasteriales accepit per 12 annos 1689 fl. 11 kr.

Fasciculus IV.

Num. 1. Mercopola ferri. Eisenhandler. Železnik.

Hic ferreus socius ab a. 1688 usque ad a. 1709 a monasterio nostro pro ferro accepit 1712 fl. 24 kr.

Num. 2. Pello.

Hic pro 5 duntaxat annis 1697, 1708, 1709 et duobus anonymis accepit 146 fl. 49 kr.

Num. 3. Vietor.

Non habebat adhuc monasterium vineas et insuper suum Popovitiu habebat vietorem, unde vietoris consignationes pro anno duntaxat 1698 et uno anno anonymo sonant super 13 fl. 27 kr. 3 Pf.

Num. 4. Alutarius. Der Weissgerber.

In 4 annis: 1706, 7, 9 et 10 accepit in parato 65 fl.

Num. 5. Lapidica.

Hic indubie iam intrat nova abbatia, nam magister lapidarum a. 1708 accepit 1139 fl. 14 kr. et a. 1710 lapicidis sunt dati ad semel 3615 fl. 38 kr., omnia simul sumpta in 6 consignationibus faciunt 4883 fl. 14 kr.

Num. 6. Arcularius.

Pro annis 8, quorum ultimus videtur esse 1705 accepisse dignoscitur 295 fl. 54 kr.

Num. 7. Figulus.

Multos habet annos anonymos, ultimus videtur esse a. 1710, accepit pro 22 annis 286 fl. 54 kr.

Num. 8. Cribrorum artifex. Siebmacher.

In 8 annis usque ad a. 1710 incl. habet 42 fl. 19 kr.

Num. 9. Fornax calcaria.

Ante aedificationem novae abbatiae in 5 annis devoravit
162 fl. 58 kr.

Num. 10. Murarius.

Annis innominatis duobus ex Chodow et Misskowitz accepit
27 fl. 24 kr. (Schluss folgt im nächsten Hefte.)

Ein culturhistorischer Fund aus dem XIV. Jahrhundert.

Mitgetheilt von P. Laurenz Wintera, O. S. B. in Braunau.

Vor Kurzem publicierte in den Sitz.-Ber. der königl. böhm. Gesellschaft der Wissenschaften in Prag¹⁾ der rühmlichst bekannte k. k. Universitätsprofessor Dr. Emler einen alten Codex, auf den man beim Durchforschen der Archive des Prager Metropolitan-capitels gestossen war, der aber von Benedictinern herrührt und Benedictiner angeht. Es ist dies ein Inventarfragment des Břevnov Klosters, der Schrift nach aus dem Beginne des XV. Jahrhunderts, der Abfassung nach aus den Jahren 1390—1394 stammend und in mehrfacher Hinsicht beachtenswerth. Denn abgesehen davon, dass alte Klosterinventare überhaupt sehr willkommene culturgeschichtliche Quellen sind, erweist sich speciell dieses Inventarfragment wegen des vorhussitischen Alters als ganz besonders rar und ist überdies unter den wenigen etwa ähnlichen Denkmälern, die in Böhmen vorhanden sind,²⁾ aus dem Grunde wichtig, weil es sich darin um mehrere local verschiedene Orte zugleich handelt. Ausser dem Břevnov Verzeichnisse selbst sind nämlich in dem Fragmente noch die Inventare der beiden Břevnov Propsteien Polic und Braunau enthalten und dann die von den Ordenspfarreien Nezamyslicz, Kosteletz, Chcebusz und Brzyestye [Břiství].³⁾

¹⁾ Sitzung am 17. December 1888; veröffentlicht im Sommer 1889.

²⁾ In Böhmen kennt man (siehe das Vorwort Dr. Emlers) an ähnlichen Inventaren aus vorhussitischer Zeit nur das von St. Veith auf der Prager Burg, dann das noch nicht edierte bei St. Thomas auf der Kleinseite und die Verzeichnisse, welche man im J. 1418 bei drohender Kriegsgefahr aus Goldenkron, Hohenfurth, Wittingau, Frimburg auf die Krummauer Burg gerettet hatte (s. Pangerl, Urkundenbuch von Goldenkron pg. 380 u. f.).

³⁾ Die Inventare der übrigen incorporierten Pfarreien Břevnovs sind verloren gegangen. Nezamyslicz und Kosteletz, beide im ehemal. Prachiner und Pilsner Kreis gelegen, werden in einer Urkunde König Wenzels IV. (dto. Prag 1395) als Propsteien bezeichnet, wie es scheint, nur theilweise mit Recht. In Nezamyslic hatte Břevnov 2 Höfe und versah die Seelsorge daselbst von 1341—1420, worauf es von König Sigismund an Johann und Wilhelm von Riesenberg verpfändet wurde. Auch Kosteletz, Chcebusz (im Leitmeritzischen, Bezirk Wegstädtl) und Břiství (im Kouřimischen) giengen für Břevnov in jener Zeit verloren (bald nach 1420).